



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 18. Obitus Cardinalis Hieronymi de Capite ferreo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](#)

Itaque summus Pontifex Pauli ratio- *Sæcnl. XVI.*  
nibus aquiescens Joannem Baptis- *A.C. 1559.*  
tum menses Martio Anno post Christum na-  
tum millesimo quingentesimo quinqua-  
gesimo septimo Cardinalem nominabat,  
quamvis ipse hac dignitate haud pluri-  
bus, quam annis duobus frueretur,  
cum septima post Pauli IV. obitum die  
scilicet vigesima quinta mensis Augusti  
mortalitatem exueret, postquam admo-  
dum præclara Ecclesiæ obsequia in va-  
riis negotiis præstitisset. Sepultus est in  
sua S. Nicolai in carcere Diaconia.

§. XVIII.

*Obitus Cardinalis Hieronymi de  
Capiteferreo.*

Vacante sede Apostolica numero quin- *Cat. p. 705.*  
tus obiit Hieronymus de Capitefer-  
reo Patria Romanus, qui die vigesima  
secunda Junii Anno Incarnationis Domi-  
nicæ millesimo quingentesimo secundo  
vel quarto primam lucem aspexit, at-  
que ab ipsis ætatis suæ primordiis a Pa-  
tre suo committebatur Alexandro Far-  
nesio Cardinali: is vero, cum juvenem  
ingenii acie, ac rerum gerendarum dex-  
teritate insignem deprehenderet, ad  
varia Romanæ Curiæ negotia illius o-  
pera utebatur, eundemque Clementi  
VII. summo Pontifici commendabat, a

T 2 quo

**Sæcul. XVI.****A. C. 1559**

quo etiam diversis legationibus hono-  
rabatur, postquam autem Alexander il-  
lius fautor assumpto Pauli III. nomine  
Pontifex creabatur, præprimis Hiero-  
*Pallav. l. 9.* nymus ad Lusitaniæ Regem, ut Syno-  
*c. 18. n. 5. l.* dum Tridenti indictam nuntiaret, le-  
*10. c. 1. n. 3* gatus decernebatur, eodemque Anno  
*l. 13. c. 6. n. 1.* Christi millesimo quingentesimo quadra-  
*& c. 7. n. 8.* gesimo primo in Gallias fuit ablegatus,  
*l. 14. c. 10.* ubi munere suo non sine magna laude  
*n. 2.* defunctus, inde redux ab eodem Pon-  
tifice Thesaurarius Apostolicus declara-  
tus, atque unacum Cardinale Ascanio  
Sfortia Pontificis Nepote ad sustinen-  
dum bellum, quo Turcæ ad Hungariam,  
atque Italiam invadendam sese accinge-  
bant, deputatus est: insuper postea eli-  
gebatur Niciensium Episcopus, & Pa-  
pæ Datarius, ac demum Anno post Chri-  
stum natum millesimo quingentesimo  
quadragesimo quarto die decima nona  
Decembris in laborum suorum præmi-  
um a Paulo III. Cardinalitia dignitate  
augebatur, paulo post in Franciam mis-  
sus, ut Franciscum I. Gallorum Regem  
Pontificis nomine rogaret, ut is suæ di-  
tionis Episcopos Bononiam ad Concl-  
lum eo e Tridentina urbe translatum  
mitteret, quo etiam mandante Julio III.  
iterum se contulit ad Henricum Regem,  
Francisci Filium pro Senensium rebus.

Porro

Porro sub Paulo III. Julio itidem III. Sæcul. XVI.  
 & Marcello II. in Æmilia legationem A.C. 1559.  
 obibat, ibidemque saluberrimas Constitutiones pro bono ejusdem Provinciæ regimine edebat. Denique postremum vitæ suæ diem Romæ in conclavi feria sexta die primo Octobris clausit annos natus quinquaginta septem, quamvis non defint scriptores, qui illius obitum ad mensem Decembrem rejiciant. Se-pultus est in Ecclesia S. Mariæ de Pace. Hic idem Hieronymus Romæ magnificum construi jussit Palatum de ejus nomine hodie dictum *Capo di Ferra*, seu *Caput Ferreum*, quod Spadana Familia hac ætate nostra valde ornatum possidet.

## §. XIX.

*Cardinalis de Meudon extrema.*

**S**extus erat Antonius Sanguin, dictus *Ciac. p. 665.*  
*San Marth.*  
*in Gall. Chr.*  
*Aubery l. c.*  
 Cardinalis de Meudon, natione Gallus, atque Antonii de Meudon supremi Aquarum, & Sylvarum in Franciæ Insula, Campania, & Bria Præfecti, necnon Mariæ de Simon Filius. Hic Stampsensis Ducissæ Neptis suæ, postquam Franciscus I. Galliarum Rex eam perditæ amare cœperat, auctoritate, & gratia ad obtinendas dignitates Ecclesiasticas utebatur, illiusque opera primo Floriacensem Abbatiam ad Ligerim,

T 3                    nec-